



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Controversiae Ecclesiastico-Historicae

Casteel, Gerard

Coloniae Agrippinae, 1734

VD18 10739254

Controversia XXI. De Pluritate Martyrum in primitivis Sæculis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68244](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68244)

CONTROVERSIA XXI.

D E

Pluralitate Martyrum in primitivis Sæculis.

Postquam Jesus Christus, qui est testis fidelis & primogenitus mortuorum, Apocalyp. cap. 1. mortem moriendo destruxisset, & vitam resurgendo reparasset; deinceps semper triumphavit in membris suis, velut caput Ecclesiæ, ad Coloss. cap. 1. quando fideles amore illius vitam corruptibilem fortiter contemnentes mortem perpeffi sunt violentam. A quibus cum nec potentissimi tyranni, ullo cruciatûs genere, obtinere potuerint, quod pervicaciter intendebant, propudiosè victi id effecerunt, ut victoriosi pugiles immarcessibilem aternæ gloriæ coronam feliciter adipiscerentur. Hos Martyres vocamus, quia testes sunt Evangelicæ veritatis, quam sanguinis sui effusione uberimè consignârunt. Quibusdam discussæ cervicis, fossum pectus, unguis ferreis discepti, aliis artus, exempta i lia. Illi patibula, rotas, cruces cruentis vestierunt corporibus; Isti membratim lacerati, flammis consumpti, Lampadibus exusti, aquis præfocati, præcipites nonnulli, belluis objectis, telis confixi, plumbatis contusi, flagris oc-

cisi, in catastis aut ergastulis confecti, aut denique in exilium pulsi, inediâ attriti, immobiles in confessione veræ fidei persistunt. Eorum autem diversâ mortis generâ, cæteraque acta summo studio ab orthodoxis olim perquisita, in veterum Archivis religiosissimè custodita, à sanctis Patribus excerpta, posteris diligenter concredita, libris Diptychis inserta fuerunt. Multo tamen plures fuisse, qui sub Ethnicorum Imperio primis sæculis pro Christo occubuerunt, quorum nec nomina, nec gesta extant, à plerisque velut certum habetur. Sunt interim, qui horum Martyrum numerum, ut fertur, pæne infinitum habent suspectum, quique valde diminutum hunc voluerunt; quem fidem humanam excedere opinati sunt. His, ut Aristophanes scribit,

*Haud etenim persuaseris unquam
Nec, si etiam persuaseris istud.*

Quin aliqui absolutè sustinent, illo ævo paucos admodum Martyres extitisse, id quod non ita pridem magna ostentatione evincere voluit

voluit è grege Protestantium Dodvvelus , multæ quidem lectionis : sed qui sibi nimium indulsit , hoc est , se suaque unice admiratur. Edidit ille *Dissertationem Cypriancam* , in qua opinamentum suum de paucitate Martyrum in primævis sæculis stabilire molitur , quod juvare posse videbuntur subsequencia.

I. Quod si tam prodigiola fuisset olim Martyrum copia ; à primis utique Collectoribus , constitutisque Notariis publicis , cognatis , Synpolitis , Christianis , aliisque , qui interfuissent , nequiquam prætermisum fuisset : quin eorum acta & nomina , designatis locis , temporibus , aliisque circumstantiis Martyriorum fuissent posteritati tradita : quæ omnia intercidisse monumenta , ut præfertur , non est credibile , quibus perspicuum est , quot & qualia veteres habuerint Kalendaria , fastus , ephemerides , tabulas , anagrapha , aliaque adversus oblivionem , antidota. Quod si insuper quis pervolvat , quam sedulo & indefessè Christiani priscis temporibus festos dies in honorem Martyrum instituerint , observaverint ; & quam egregiis laudum præconiis Ecclesiæ Præsules illorum fortitudinem fidelibus exposuerint , facile judicabit , vix fieri potuisse , ut in singulis Martyrum Ecclesiis horum nomina aut memoria obliterari aut in obscuro delitescere potuerit. Cùm autem hi in multo minori numero reperiantur in antiquorum monumentis , quam sæculis posterioribus ; suspicio non temeraria formatur , quod multi sint suppositicii Martyres.

II. Ut ingens redderetur Martyrum numerus , multi Imperatorum inter sævissimos recententur persecutores fidei Christianæ : quorum aut pacata fuerunt tempora , aut animus à Christianis minimè aversus , quos proinde supplicis mactari non jusserunt. Certè Adrianus Imperator , de quo fama est , quod Christo templa posuerit , Christianorum Latio passim audit apud martyrologra-

phos , quem cum aliis commenda M elito apud Eusebium H. E. *Lib. 4. cap. 25.* ubi Antonium Itnp. sic affatur. *Quod nostra Religio tam præclare cæpto Imperio maximo plane adjumento & commodo fuerit ; illud certissimo argumento esse poterit , nempe quod ab Augusti regno hæctenus nihil rerum adversarum invecum est : sed contra omnia cum summo splendore & amplitudine prospere , & ex animi sententia cujuscunque processerunt. Et quanquam Nero & Domitianus soli inter omnes Imperatores , invidorum quorundam & malevolorum suasu adducti , nostram Religionem ignominia & obreclationi exponere studebant (quorum perditio conatu falsa ista & malitiosa criminatio contra Christianos & ad aures hominum allapsa est , & temeraria ac vesana consuetudine continuata) illorum tamen inscruam & amentiam pii ac religiosi Patres majoresque coarguentes , sæpe eos , qui contra istos pie Religionis & doctrina Professores , aliquid novi moliri audebant , modestè & prudenter per edicta correxerunt. Intra quorum numerum est Adrianus avus tuus , quem cum aliis multis tum Fundano Proconsuli Asiaque Præsulto literas in gratiam Christianorum scripsisse constat. Tuus item Pater , quocum una In summam rerum administrabas , tum ad alias civitates generatim , tum ad Larissæos , & ad Thessalonicenses , Athenienses , & ad omnes demique Græcos nominatim mandata per literas delegavit ; ne quid novarum rerum contra nos Christianos aliquando edere molirentur. Hæc Melito Episcopus Sardicensis in Asia in Apolog. quam Anno 170. præfato exhibuit Imperatori. Præterea narrat idem Eusebius hic. cit. cap. 8. Adrianum Sereno præfeto scripsisse. Sibi iniquum videri Christianos , nullo obiecto crimine indictaque causâ , quo populi clamoribus satisfiat , neci dare. Atque hunc Imperatorem Minutio Fundano Asiæ Proconsuli præcepisse , ut nullum Christianum , absque crimine iusto intentato & accusatione ,*

ne, rectè, verèque ad ipsum delata, morte mulctaret perhibet idem Eusebius *cap. 9. & in Chronico*. Quin etiam cogitasse in cunctis civitatibus templa Christo erigere Author est Lampridius in *Alex. Severo*. Et tamen sub tam æquo ac benigno Principe dicuntur in Martyrologio Romano passi Matthias Episcopus, Faustinus & Jovita (& hi quidem coram ipso occisi notantur à Baronio) alii- que multi. Adriani & plurium in Christianos benignitatem indicat Tertullianus *Apolo- log. cap. 5.* ubi, facta quoque mentione Neronis & Domitiani, prosequitur. *Ceterum de tot exinde Principibus usque ad hodiernum divinum humanumque sapientibus, edite aliquem debellatorem Christianorum.* Additque nullum edictum ab Adriano contra Christianos promulgatum. Adeoque Augustinus. *De civit. Dei lib. 18. cap. 52.* Orosius *lib. 7. cap. 27.* nullam sub eo persecutionem statuunt. Fuit etiam Imp. Nerva à Domitiano alienissimus, Christianorum favor, exulesque restituit: & tamen anno, & quod excedit, Imperii sui, Eutyches, Victorinus &c. in actis & Martyrologiis leguntur passi. Trajanus laudatissimus & æquissimus Princeps in Christianos, post lectas Plinii literas Quadrati & Aristidis Apologias mitior effectus, Christianos persequi destitit: multos tamen ejus jussu tunc trucidatos ob Christi fidem, quædam acta referunt. Antoninus Imp. persecutiones prohibuit & Christianis æquus fuit, quem admodum Xephelinus in *Epitom. Dionys.* testatur. Et Antonino Pio imperante pax Ecclesis fuit. Verba sunt Sev. Sulpitii *Lib. 2.* Insuper Orosius *Lib. 7. cap. 14.* perhibet, quod Justinus Librum pro Religione Christiana compositum Antonino tradiderit, benignumque erga Christianos fecerit. Videri poterit Eusebius *Lib. 4. cap. 13.* exhibens illud rescriptum, cujus est Apodosis. *Quod siigitur quispiam cuique Christiano, quia Christianus sit, peragat molestia quid, aut criminis in-*

ferre: ille cui crimen illatum fuit; etiam re ipsa Christianus sit, deprehensus absolvatur. Qui autem illum accusaverit justum debitumque supplicium subeat. Nihilominus Thelephorus Papa, aliique plures numerantur sub hoc Imperatore passi. Alexander Severus, inter Christianos enutritus iisdem plurimum favit, quemadmodum ejus mater Mammæa, quæ ab Eusebio *Lib. 6. cap. 21.* pia imprimis & religiosa femina vocatur, ab Orofio, aliisque passim Scriptoribus Christiana habetur. Et tamen sub Alexandri Imperio Martyres magno numero agglomerantur. Præter Tarianam 13. Januarii. Quiriacum, Archelaum, sociisque 23. Augusti. Calixtum Papam 14. Octobr. tunc passos, in Martyrologio 10. Maji sic legitur. *Roma B. Calepadi Presb. & Martyr. quem Alexander Imp. gladio fecit occidi, & corpus ejus per civitatem trahi, atque in Tyberim jactari, quod inventum Calixtus Papa spelavit. Decollatus est etiam Palmatius Consul cum uxore & filiis & aliis presb. cui sexus 42. de domo sua. Simplicius quoque Senator cum uxore & 68. de familia sua item & Felix cum uxore sua Blanda, quorum capita suspensa per diversas portas urbis ad Exemplum Christianorum.* An hujusmodi crudelitatem exercuit Alexander, qui hanc gnomam publicis insertam voluit tabulis. Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, stene prodigium fuit humani cruoris, cujus Imperium fuit incruentum, teste Herodiano Scriptori istius sæculi? Sævissime tam immanè Imperator; qui Christi imaginem habuit in Larario suo, eique templum ædificare voluit? Num persecutus fuit tam dirè Christianos, qui locum, quem propinarii prætendebant, voluit Christianis esse in usum suæ Religionis? qui, ut Lampridius in *vit.* scribit *Christianos esse passus est?* Martyres tunc nullos extitisse evincit insignis ille locus Eusebii *Lib. 5. cap. 16.* *Ab obitu Maximilæ, usque in hunc diem plus quam tredecim*

anni elapsi sunt (eo tempore regebat Alexander 9. Nec tamen ullum aut particulare bellum aut universale in terris fuit. Imo Christianis, præcipua quadam Dei misericordia, pax stabilis & firma permansit. Sed & post fata Alexandri bene fuisse Christianis compertum est ex Sulpitio loc. cit. scribente. Interjectis deinde annis octo & triginta pax Christianis fuit: nisi quod medio tempore Maximianus nonnullarum Ecclesiarum Clericos vexaverit. Hæc aliaque non abimilia veterum testimonia decumano Martyrum numero notabilem diminutionem interunt. Denique Lactantius Lib. de mortib. persecut. paucos admodum commemorat Principes, qui in Christianos sævierunt: argumento sub aliis Martyres non extitisse.

III. Tantum abest, ut plures extiterint Martyres in primis sæculis, præter eos, qui tabulis publicis, Calendariis, Diariis &c. exhibentur, ut constet, multos inibi irreptisse, qui tales nunquam fuerunt. Atqui, ut nulla fiat mentio Arianorum Marcionitarum, Montanistarum (inter hos quidam recensent felicitatem, Perpetuam sociisque) aliorumve hujus furfutus pseudo-Martyrum, & in pertinacia obrigentium Sathanæ victimarum, qua de re Augustinus Epist. 61. Docendo & scribendo monstravimus, hereticos non posse habere Martyrum mortem: quia Christianorum non habent vitam: cum Martyrem non facit pœna, sed causa: quorum tamen nomina in judicium Catalogos, perinde ac orthodoxorum Martyrum, titulo professionis referabantur: multi etiam ob fidem Catholicam mortem perpeffi leguntur, quos extitisse, necdum extra dubitationis aleam est constitutum. Sic in Martyrologio Romano die 22. Junii recensentur decem millia Martyrum in monte Ararath, qui sub Adriano Imperatore passi sunt. Quorum acta, inquit Daniel Papebrochius in alt. 85. particulatim excussa & ad oculum demonstrata, talia, ut suis descriptorum cultus alio

nullo nitatur fundamento, quam credulitate, iisdem decursu paucorum seculorum data, omnino videatur dubitari posse, utrum tales revera extiterint in rerum natura. ... De his ex Authore Græco nil potest expiscari: sed apud Latinos tantum eorum reperitur notitia, non aliunde accepta, quam ex actis undequaque vacillantibus. Apud Laurentium Surium, mortuum 1578. nil in prima & secunda editione: sed tandem anno 1618. evulgata aliqua acta ex M. S. Collegii Coloniensis Soc. Jesu. cum longa Apologia, qualis etiam extat in notis Baronii. Interpellat deinde suffragantem Rudolphum de Rivo Decanum Tongrensem, qui scripsit, præcipite jam sæculo XIV. Librum de observantia Canonum, & proposuit: 11^{ma} enumerat acta SS. Apocrypha, atque in Ecclesia nunquam legenda. His accenset passionem Barbaræ & Catharinæ, 10000. Martyrum. *Quæ fabulosa dicam (censura est hujus Rudolphi) donec alia videro. Finguntur omnia genera Passionis Christi &c. nec ipsorum Passio in aliquo Martyrologio Authentico notatur: nec ipsorum diem in aliquo Calendario Romæ potui invenire. Græcè extitisse, pergit Papebrochius, non est credibile: cum in tot Mœnais, aut Synaxariis Græcorum Arabum etiam Coptarum atque Ethiopum præteriti sint, nec non à quibuslibet aliis Græcis Scriptoribus, qui omnes, præsertim Synaxariorum Collectores, quis dixerit abstinuisse; eo quod acta judicaverint fabulosa? Cum præsertim legendas exhibeant, epitomas actorum æque fabulorum, ut S. Meletii, Martyrum 11. 208. item acta 20000. civium Nicomediensium, qui feruntur in nocte Natali congregati in Ecclesia, simulque cum ipsa à Diocletiano combusti. Utrosque ex fide Græcorum in Martyrologium receperunt ejus reformatores prædicti. Utrosque omissos fuisse præstitisset. Cum ergo Synaxariorum compilatores hos receperunt, quis credat illos omissuros fuisse 10000. MM. in monte Ararath.*

rarath. Quorum Baronius in *Not. ad Martyr.* hoc die produxit testimonia, nullo sunt præsidio. Bedæ namque Liber supposititiis est. Hinc adstipulantia veterum M. SS. donec exhibeantur, crepera remanent. Recentiorum, Petri de Natal. &c. &c. auctoritas hac in re perexigua. Petrus Galefinus ex sola fide Martyrologii Rom. hodierni tot Martyres ponit, quasi omni alio ad eorum Martyrium corroborandum subsidio destitutus. Græci quidem, ut in cit. nor. additur eodem die de his Mm. agunt: sed agere ceperunt non nisi sæculo XII. vel XIII. quando Latini Armenis Christianis acta obtulerunt, qui omni literaturâ carentes, eadem receperunt. Frustra etiam Eminentissimus horum actorum translationem Anastasio Biblioth. tribuit; quandoquidem stylum toto cælo differre à Vitis Pontif. eruditi observant. Nec est, quod miretur Rudolphi festinam de his Mm. sententiam; quasi Roman. Martyrol. saltem auctoritate contineri debuisset, qui frustra exceperit de Kalend. Rom. Cum aliâ sit ratio Martyrologii alia Kalendarii, ubi tantum isti SS. scribi consueverunt, quorum recitatur officium Ecclesiasticum. Obiit siquidem Rudolphus 1403. quando nullum nominabatur Martyrologium Romanum: sed tota Urbe legebatur Ufuardi, ex cuiusvis transcribentis arbitrio auctum, in cuius tamen exemplari nullo istos Mm. à se repertos asserit Rudolphus. Er in hoc vir eruditus ac gravis, ut à Baronio ex scriptis agnoscitur, fidem meretur, qui non etiam Kalendarium frustra nominavit, in quo tunc aliqui SS. positi erant, qui in Martyrol. non extabant, ut cit. supra hagiographus observat, simulque subodoratur, quod Belluinus de Padua, Augustinianus ab aliquo Capellæ Pontif. ministro ejus Martyrologii exemplar nactus, quo fortè tunc Capella utebatur, circa finem sæculi XV. Ufuardo recudendo primus præfixerit titulum. *Martyrologium secundum usum*

Curia Rom. An autem nihil addiderit, asserit Papebrochius, in incomperito manere. Fuit autem Ufuardus pluries privata auctoritate auctus, ac ita compositum opus Martyrol. Rom. & pro temporis angustia, quo vacare liquit, accuratum, diligenter videri gandum Sanaxis Rom. Pontif. sicut antea iusserat Breviarium, postea tamen recognoscitum. Acta præfatorum Mm. 10000. ab eodem post annos mille prodisse, usque, ut in aliis, inesse, quæ levi aliqua correctione indigeant, concedit Baronius: sed proponenti Cardinali hoc visum, aliis videri aliter perhibet Papebrochius, qui Cardinalem ipsum, Salvâ reverentiâ, festinum dici posse opinatur.

Ipso die 22. Junii referuntur in Martyrol. Roman. edit. 1480. Mm. passi in Samaria sub Chosroe Rege Pers. de quibus nec profani nec sacri Scriptores aliquid tradiderunt quod ad posteros pervenit. Neque eorum historia nititur alia fide, quam cujusdam Gedicis, ævo Baronii, in quodam monasterio Romæ reperti. Qui, cum unicus sit, quantumcunque in tenebris latuerit, nullo colluctante antiquitatis suffragio, ut idoneus testis veritati lucem adferre nequit. Agunt Mm. mille quingentorum viginti quinque die 29. Maij Martyrologio illi insertum, in nullo alio; nec nisi in Actis Venantii, ipsi Baronio suspectis, legitur Authore; etiam in Lucensi, Corbiniano &c. &c. vetustioribus omissum Martyrologiis.

Die 16^{ta} Februarii inibi recensentur cum Juliano 5000. Mm. in Ægypto. Hi in antiquis monumentis non reperiuntur: sed solum legitur, quod Julianus cum quinque mil. id est, militibus fuerit trucidatus. Die 4^{ta} Martii fit commemoratio SS. 90. Mm. de quorum tempore Passionis nihil apud profanos, ipso Baronio fatente; In Martyrol. autem Antverp. per Bolandum continuato ipso die decem tantum habentur Martyres. Neque, post tam enormem eorumdem multiplici-

multiplicationem, vulgi hic sistit credulitas. Decantata quippe est historia de S. Ursula cum sociis undecim millibus apud Colonia Agrippinensem ab Hunnis trucidata. Præterquam verò, quod plurimi cum Gaufrido, Bebio, Crombachio & Masenio ad Annum 237. id referant, sub Maximino Imp. quod sæculo V. mediante Alfordus, Baronius, Broverus, alique contigisse volunt: non pauci eruditorum hunc numerum suspectum, quidam etiam falsum ducunt; diversam exorbitantiam assignantes occasionem. Quibusdam placet inde provenisse, quod ex his characteribus, olim repertis in publicis tabulis. XI. M. V. Id est, undecim Martyrum Virginum, absone desumpta sint undecim millia Virginum. Quod probabilius ipsis videtur ex quodam vetusto Catalogo Reliquiarum, qui septimo Tomo Speilegii Lucae D' Acheri est insertus: in quo de Reliquiis Sanctarum undecim Virginum habetur. Alii iudicii sui sensum fundant, quod in Antiquissimo Ufuardi manuscripto Martyrologio, quod in Bibliotheca Abbatiae S. Gertrudis, in pratis, asservatur; & Authographum, vel saltem, vivente adhuc Ufuardo, descriptum, die 21. Octob. nulla fiat mentio Sanctæ Ursulae & Sociarum undecim millium: attamen pridie referatur passio Sanctarum Virginum Marthæ & Saulæ, cum aliis pluribus Coloniae. Atque ex his Ufuardi verbis conjiunt, desumptum Ursulae nomen. P. Simonius in veteri quodam Martyrologio legit Ursulae & undecimillæ. V.M. quod alii undecim mille Martyres erroneè interpretati sunt. Accedit, quod de Ursula & sociis britannis, quæ refertur historia, nullius idonei veteris Scriptoris autoritate nitatur. Nihil de ea Abbas Gildas Badonicus, cognomento sapiens, qui sæculo VI. tractatum, seu ut ipsemet appellat, Epistolam de Britanniae ruina scripsit; in quo illam Regionem, Maximi discessu spoliata juvenutis robore, tantopere deplorat. Nihil

de eadem Beda, aliive Angli Historici, qui cuncta literis acurate sunt prosecuti. Ex quorum silentio prudenter colligitur tam numerosum Virginum agmen in Britannia nunquam visum fuisse. Huic coetui adscriptus legitur quidam S. Cyriacus, Britannus, Pontifex Romanus, qui in rerum natura nunquam exiit neque Baronio attestante *Annal. ad an. 853. n. 61.* ab ullo veterum, qui Pontificum contexuerunt Catalogum, recensetur. Nihilominus ceu vera historia vulgò habetur, quæ potissimum revelationum autoritate niti præfertur. Extatque in Romano Breviario, Anno 1500. Romæ impresso, unde transumptum officium proprium cum 9. Lectionibus; Breviario, Venetijs Anno 1522. recuso, insertum. Atque olim legebatur in Glossa Joannis Andreae in 6. Decretal. L. 1. tit. 7. de *Renunt.* Ut autem horum Martyrum acta, ab his, qui criterio pollent, inter commentitia, aut adynata collocentur: ita plurimum adhuc mille Martyrum Nicomediae simul combustorum historia ex Lactantii Firminiani postliminio, de mortibus persecutorum reperto Libro, falsitatis manifestæ convincitur. Sic enim *cap. 12.* Author ille testatur. *Terminalia deliguntur, quæ sunt ad 7. Kalend. Martius, ut templum Nicomediense everteretur, Imperatores vero in speculis diu inter se concertabant, utrum ignem potius supponi oporteret. Vicit sententia Diocletianus, cavens, ne magno incendio facto, pars aliqua civitatis arderet.*

Non ergo 20000. Martyres, (tot enim Græci apud Baronium in notis numerant) combusti sunt; necdum die Natali Domini nostri; cum die 23. Februarii securibus & aliis ferramentis templum à Prætorianis solo adæquatum sit. Quocum subsistere nequit, Martyres, qui in Natali Christi ad *Dominicum*, id est, templum, convenissent, jussu Diocletiani, in Ecclesia illa clausos, nolentes Jovi sacrificare, incenso igne,

consumptos : ut in sæpe citato Romano legitur Martyrologio.

Plures insuper viros illustres, qui aut nunquam pro Christi fide ab hostibus interpellati, aut nullum tormentorum genus experti; aut saltem necati non fuerunt, in censum Martyrum referri satis exploratum habetur. Ut enim Ss. Cléopha, Hermetis, aliorumve quorundam, vel Christi, vel Apostolorum non fit mentio discipulorum; prætereanturque Anaclerus Alexander, Hyginus, Pius, Eleutherius, Zepherinus, Anterus, Melchiades, Fælix II. nonnullique alii Romani Pontifices, quorum martyria apud plures eruditos ad minus dubia remanent, sicut & Ss. Faustini ac Jovitæ, constat Xynoridem, martyrem Antiochenam, nunquam fuisse in rerum natura, quæ in Romani Martyrologii, primæ editionis Venetæ, An. 1587. fuerat à Baronio ad diem 24^{am} Januarii inserta, perperamque illius Sanctæ Encomiastes Joannes Chrylostomus adductus: uti etiam Hieronymus de alia quadam juniore, nobilitate & pietate clara femina Xynoride relatus. Quæ omnia quidem in secunda editione ab instructo amice Baronio omissa; nomen tamen in indice adjuncto incautè relictum fuit cum designatione præfatæ diei.

Constat pariter Agaperum, Synnadorum Episcopum, in eodem Martyrologio ad diem 24. Martii martyrem nominatum, primò fuisse apud Arianos presbyterum, postea Episcopum, ut Photius asserit, quem, ne quidem Græca Ecclesia in Sanctorum classem admittit. Baronius fuit nixus auctoritate Suidæ, qui Eusebium refert. Sed, postea cum in eodem nil de Agapeto reperisset, censuit Librum nonum historiarum non esse integrum; aut in commentariis Martyrum, ab Eusebio conscriptis, qui intercederunt, Agapeti mentionem fieri. Tillemontius autem in Suida pro Eusebio, Philostorgium, legendum esse judicat, qui in

compendio, quod Photius conservavit, multa de hoc Agapeto refert; illumque Philostorgii asseclam dicit, quo Arianum fuisse non obscurè indicat. Bedæ autem supposititium Martyrologium ab Eminentissimo frustra hîc interpellatur, in quo legitur. *Natale Sanctorum Seleucis & Agabi.* In Usuardi verò aliisque. *In Phrygia S. Agapeti,* nec Patria, nec Episcopatus, nec Martyrium refertur. Unde Bolandus conjicit hæc potius pertinere ad S. Agapum, qui eodem die martyr in Palæstina obiit. Lucianum presbyterum Antiochenum, Arianismi à multis insinulatum, Paulique Samosatani asseclam, Christi martyrem agnoscere variè recusant. Decimâ Sextâ Augusti Martyr prædicatur Serena, quondam uxor Diocletiani, quo quidem nec nomine nec loco, martyribus proprio, illum Romanum afficit Martyrologium; indicant verò circumstantiæ temporis, ac personarum sicca morte non obiisse. Verùm ostendit eruditissimus P. Peritidier. tom. 3. in *Noris ad Biblioth. De Pin.* & probat, quod Diocletianus aliam non habuerit conjugem, quàm præscam Valeriæ matrem. Quare hæc Serena nunquam fuit, sed neque Alexandra, quam Heschenius & Papebrochius eidem Imperatori adscribunt conthoralem, martyremque pronuntiant. Fatetur Baronius penes Gentios nullam Serenæ extare memoriam; quod mirum non sit: cum Diocletiani res gestæ remanserint obscurissimæ, deperditis illorum commentariis, qui eas exactè fuerant profecuti.

Mirum tamen est, quod Eusebius, qui Serenum Martyrem de prædicat, Serenam hanc silentio præterierit; quique multa de Diocletiano, utique ex Commentariis, recenset, hanc tamen non reperisse Imperatoris conjugem. Eam ignorarunt Calliodorus, Evagrius, Procopius, Ammia, Marcellinus, Aurelius Victor &c. &c. Cum ergo Serena antiquorum careat auctoritate, præ-

prætermittenda fuisset conformiter regulæ, quam sibi præfixit Eminentissimus Scriptor Annalium. Denique in eodem Martyrologio die 26. Maji &c. Item Adonis & aliorum quorundam cum quibus dicitur Zacharias Viennensis in Gallia Episcopus sub Traiano Martyrio coronatus. Cum tamen, attestante Severo Sulpitio, antiquissimo Scriptorum Gallo, Marco Aurelio imperante primum intra Gallias martyria visa sint. Subsequentibus quoque sæculis, postquam defuissent lævæ persecutiones; martyres illi vulgò crediti sunt: quos tales fuisse planè negant, aut meritò dubitant, in quorum mentem credulitas haud facile irripit. Joannes Scotus, cognomento Erigena, in Monasterio Anglicano docens, postquam ad instantiam Nicolai II. Romani Pontificis ex Academia Parisiensi fuisset eiectus, & veluti hæreticus proscriptus; à discipulis graphiis compunctus interit; martyrque habetur à Simone Dunelmensi, Rogero de Hoveden, Matthæo Westmonasteriensi, Vincentio Belluacensi, S. Antonino; eumque Hæctor Boetius autoritate Pontificia sanctis Martyribus adscriptum tradit. Molanus inter SS. Martyres, in appendice, recenset. Arnoldus Wion Ligno Vitæ Lib. 3. ad 9. Decembris. Martyrologio Romano, An. 1582. Antverpiæ impressio, scribit hunc infernum; Saullajus Martyribus Gallicanis in supplemento addit. Hic tamen Joannes in Concilio Parisiensi, Vercellensi, ac Romano fuit damnatus ob errores in fide, quos docuit in suis Scriptis; & plurimi Scriptores profitentur, quod mortis causa sit ignota. Similiter Raynundus Lullus, ut Martyr à multis colitur, qui tamen ab Inquisitore hæreticæ pravitatis suffixionem tulit: ut nihil de Hieronymo Savanorola, similibusque dicatur, qui mortem quidem, sed non pro Christo perpessi sunt: nihilominus Martyrii palmâ condecoratos credunt, qui ex inclinatione, credulitate, simplicitate, alio-

rum persuasione, aut alia de causa erga illos affecti sunt. Imo usus quinque aut sex priorum sæculorum, (scribit Papebrochius in Paralip.) titulum Martyrii extendere solebat, ad quoscunque Sanctos, etiam à Laicis, & grassatoribus cesos, accedentibus præsertim divinis revelationibus, ac miraculis, testantibus eorum mortem in Dei conspectu preciosam fuisse. Tales fuere S. Evergillus Episcopus Colonienis, S. Gerlacus civis Colon. tales multi alii in variis Regionibus & Provinciis, qui nomen gloriosum Martyris adepti. Quid; quod olim eos, quos Romanorum Magistratus, sine reflexione ad Religionem, injustè damnasset, habitos esse Martyres compertum fit ex Amian. Marcellini Lib. 27. Voluit insuper Imperator Phocas illos adscribendos esse sanctis Martyribus, qui in bello ab infidelibus hostibus, fidei causâ, cæsi essent. Et quoniam huc devoluta est oratio non erit dissimulandum silentio, quod susceptæ veritatis defensionem aliquale adferet emolumentum: scilicet titulum Martyris non solum, sed & Sanctitatis præcis fuisse admodum laxum temporibus. Hunc enim non tam internæ Sanctitatis, ac cælesti gloriæ, ut nunc assoler, quàm dignitati, vel professioni tributum, bene quidem ostendit idem Papebrochius in causa Valeriani Cemeliensis: inde tamen evenit, ut quibus ob dignitatem, vel professionem fuerat olim tributus, titulus ille postmodum incautè iisdem datus crederetur ob internam Sanctitatem. Ideoque; quos vulgus aliquando in vita, ob spem bene peractam, & præ cæteris officio suo bene perfunctos audierat; aliave de causa, minoris licet fortè momenti, veluti Sanctos respexisset; eosdem post mortem Sanctos appellare, ac nulla interveniente autoritate, privato, aut publico eorum cultu, loco præsertim, ubi exuvie repositæ erant colere, ut tales sumeret: quæ illis veneratio longissimi temporis decursu, aut Apostolicæ

Sedis tolerantia, non raro permansit: quandoquidem tamen propter repertas inconvenientias, & abusus omnino sublata, & prohibita fuit. Qua ratione quam plurimi Sancti in diversis Dioccesibus venerationem obtinuerunt, qui istis locorum olim, vel praefuerunt vel vixerunt. Imo, ut nostri avi Scriptor Orthodoxus scribere non vereatur, ambitio & opulentia multiplicarunt numerum Sanctorum. Patrocinium alicujus potentis effecit, ut sit cultus Sanctus, adeoque ferme sufficiebat ad Sanctitatis nomen, quod certo die, ut Veneris Sancto, obierit. Quanquam hanc licentiam in futurum non solum Ecclesia compescuerit: sed etiam in quorundam sic Canonizatorum vitam diligentius inquisitum fuerit. Quorum namque Sanctitati obstantes, ubi deprehensi fuissent; Pseudo-Sancti ad filios excussorum amandati sunt. Ita Guilelmina Bohema An. 1281. mortua (hujus destructum tumulum in monasterio Caravallenti 4. milliariis Mediolano distito, se vidisse refert Mabillonius in *Musaeo Italico*) & per aliquot annos pro Sancta habita, compertis praestigiis, exhumata & combusta fuit An. 1300. Triennio post Armani (alii Hermannii legunt) corpus, quod annis 31. tanquam Sancti in Ecclesia Ferrariensi in veneratione fuerat, studio & mandato Inquisitorum haereticarum pravitate, fuit exhumatum pariter & combustum; ejusque ara pretiosa fracta publicèque destructa; ut perhibent Platina Odoricus Raynaldus ex manuscriptis Jordani, in Bibliotheca Vaticana. Neque melioris notae, multorum judicio, censerent viri quidam, quos, aut fama fert sanctimoniam celebres, aut in Divorum numerum evexit quorundam Ecclesiarum cultus, quales sunt Firmilianus Episcopus, sancti Stephani Papae Antagonista acerrimus, qui in Menologio Graecorum die 18^{va} Octobris legitur. Meletius, Episcopus Antiochenus, Arianismo infectus; Severus Sulpitius, quidem è Mar-

tyrologio, jussu Urbani VIII. P. M. excussus, quem tamen Hispani, & Lusitani religiose adhuc colunt. Joannes Cassianus, Vincencius Lyrinensis, Faustus Rhegensis, qui Pelagianismi sunt insinulari, in Gallia tamen publico etiamnum cultu afficiuntur. Coluntur Carolus M. Imperator Aquisgranus, Ludovicus Pius in monasterio Imperiali Corbiensi, cum hunc nullus, illum Pseudo-Pontifex Sanctis aggregaverit. Agobardus Episcopi Ecclesia Lugdunensis, Viennensis Bernardi sui Festa celebrant; qui tamen factiosi, rebelles, & conspirationum complices multorum habentur testimoniis. Petrus Luxemburgensis in summa veneratione habetur, qui antequam annum aetatis 14. consecratus Episcopus Metensis, ab Anti-Papa Clemente VII. Cardinalis creatus, eique constanter adhærens, haud diu post obiit. Quis potro credidisset, cultu religioso affectum, qui in rerum natura nunquam existerat, & tamen ab Hispanis referente Mabillonio, *loc. cit.* Urbanus VIII. interpellatus de concedendis indulgentiis, ob cultum S. Viar; negavit, se id praestitutum, nisi prius resciret, quis & qualis ille Sanctus fuerit. Allatus ergo fuit lapis infractus; in quo hæc literæ reliquæ extabant. *S. Viar.* Verum peritores; judicabant fragmentum esse veteris inscriptionis, in quo quidam praefectus *Viarum* laudatus fuit.

Neque minus mirum videri posset; quod in Martyrologio Romano jussu Gregorii XIII. edito, & ab Urbano VIII. recognito die 2^{da} Novembris locus sit relictus Theodoro, Laodicensi Episcopo; quem illustrissimus Angelus Riccius, & alii viri docti, recte Petro Possentino, in Epistola, tempore mortæ litis de eodem Romæ Ventilata, Scripta ad Daniele Papebrochium, putant aut valde suspicantur immerito irrepsisse in Martyrologium illud: cum in omni memoria rerum Arianarum illa pice infectus appareat, nec idoneum ejus respicientem indicium

cium eernatur. Quamobrem Henricus Valesius, in *pref. de Martyr. Rom.* ad calcem annotationum ad *Eusebium* edito, non dubitat pronuntiare perperam nomen istud intrusum, & Baronii, quod non expunxerit, diligentiam requirit. *Ego* (inquit Sollecius) *non parum post alios laborasse me fateor; ut vel tenuia aliunde respicientia ejus vestigia eruerem: at fructus labori hactenus non correspondit. Vide Baronium ad annum Christi 325. num. 4. & doctos quosque passim inter pravaricatores Arianos Theodorum numerare. Ceterum de ortu & propagine cultus apud omnes Orientales ignoti satis dictum est.* Simile de Theodoro iudicium recentiores defœcati iudicii Scriptores ferunt, Anton. Pagi, Tillemontius, Vigerius ac novissimus inter primos collocandus Claudius Fleury Regis Christianissimi Ludovici XIV. nepotum quondam informator, qui Ecclesiasticam historiam multis præclaris animadversionibus egregiè illustravit; & usque in senectam & senium indefessus opus suum prosecutus, donec anno 1723. die 14. Julii è vivis excessit.

Ut autem de his satis superque dictum videri possit; qui studiosius hanc materiam tractant; deprehendunt ex utroque sexu plures, qui vulgè dicuntur ac creduntur Sancti, seu Martyres seu Confessores, qui reverà sunt tales. Cum tamen S. Hieronymus relatus 11. q. 3. Can. si quis pronuntiet. *Si quis hominem, qui Sanctus non est, Sanctum esse crediderit & Dei eum iuxerit Societati, Christum violat, cuius membra sumus.*

Dum interim hæc prolixius deducta pondere suo censoriæ Libræ lancem haud parum deprimant unam; in alteram denique reponendum, quod gravantia plurimum alleviet; id quod masculè præstitit vir, plerisque nominibus venerandus, & multiplicis fœcturæ literariæ laude celebris Theodoricus Ruinartius Ord. S. Benedicti, è Congrega-

tione S. Mauri monachus presbyter in erudito tractatu, quem vindicandæ Martyrum injuriæ adversus Ecclesiam intentatæ retundendo, non ita pridem evulgavit; qui ab ipsis Catholicæ Religionis infestis plausum tulit, dum etiam fatentur, quod paucos Dodvelli sententia, præposterè singularis, inveniat fautores. Idem argumentum contra eundem Dodvvel nuperitè Joseph. August. Orti Ord. Præd. Florentiæ Thig. Lector solerter & zelosè pertractavit. Horum propugnatorum sententia certitudinem adæquat, quemadmodum clarè patebit ex sequentibus.

I. In persecutionibus Generalibus haud dubiè sævissimis, quarum ad minus decem communiter numerantur, cum magna in Imperio Romano, tunc amplissimo, ac quaqua versum extenso, facta sit strages Christianorum, qui, licet latebras quærent, aut fugam meditentur; plerique tamen furentium manus evadere non poterant; hinc certò liquet, innumerabiles prope modum fuisse Martyres, qui mortem potius oppetere maluerunt, quàm detestandâ sese idololatriâ commaculare, quando Cæsares Nero, Trajanus, Adrianus, Antoninus, Aurelius, Lucius Verus, Commodus, Severus, Maximinus, Decius, Gallus & Volusianus, Gallicanus & Valerianus, Claudius, Aurelianus Diocletianus & Maximianus viri sanguinati, aut potius belluæ immanissimæ ferocire non deficiunt, quo ad usque vixerunt, adeo, ut mirum videatur, quod, dum à Christianorum cervicibus, vix duobus sæculis integris, recesserit tyrannicæ violentiæ gladius, aliqua adhuc Gentis sic oppressæ reliquiæ superfuerint: sub quorum aliorumque Ethnicorum, quantumvis minus sævientium, regimine paribus votis atque studiis in exterminium Religionis orthodoxæ conspirabant Magistratus, Sacrificuli, Dynastes, Satrapæ & Præfecti. Plebs quoque infima in Christianorum perni-

pernitentem ruebat, atque omnes prætendebant, se horum mactatione crudelissima obsequium præstare Principibus, suosque hæc catharmata offerendo, placare deos. Et

Claud. 1. Ruff.

*Quis prodere tanta relatu
Funera, quis cedes posset deslere nefandas?*

Quando omnes omnium terrarum incolæ, diverso quidem tempore: sed pari conatu, unoque velut æstro concitati in illud collimabant, ut est apud Augustinum in 19. *Genes.* quatenus Ecclesia Dei; si fieri posset, de terra tolleretur. Sic quippe pervaserat Regionem quascunque eadem tempestas; ut cum omnia Martyrum sanguine quasi diluvio Generali redundarent, Ecclesia Christiana, Ecclesia Martyrum jure nuncupari posset, ut scire asserit Epiphanius *Lib. 2.* Sæculo tertio ad finem vergente sanguinis Christiani appetentissimi Principes Diocletianus & Maximianus, quorum ille Orienti, hic Occidenti præerat, totus mundus sanguine infectus fuit, usque adeo, ut, Severo Sulpitio attestante *Lib. 3. Histor.* nullis unquam bellis fuerit magis exhaustus. Irruebant Lupi ferocissimi in Gregis Christiani viscera & Pastores; nulli aut ætati, aut sexui parcentes. Quo evenit, ut nullum Religionis veræ vestigium manserit reliquum, ubi grassati fuerant. Rectius itaque quam Diocletianus suo nomine voluit insigniri Æram, Ecclesia Æram Martyrum appellavit. Intra unius mensis spatium 17000. Mm. variis cruciati- bus interisse tradit vetustissimus Liber de Romanis Pontificibus in *Marcello*, quorum numerus deinde computatus fuit ad 14400. Cæsar Augustæ sub Daciano, Hispaniæ Præside, innumerabiles pæne occubuerunt Christiani, de quibus prudentius *Peristeph.* hym. 4.

*Nec furor quisquam sine laude ho-
strum*

*Cessit, aut clari vacuus cruoris
Martyrum, semper numerus sub omni
Grandine crevit.*

Eodem ferme tempore in Numidia quam plurimus Martyrii laude conspicuus ex hinc horum actis exploratum habemus. In Ægypto multa millia Martyrum Specimen Constantiæ dedisse, ex probatis Authoribus narrat Spondanus. Nicomediæ complura etiam millia interiisse Urbem pariter amplissimam in Phrygia, cujus Præfectus, Magistratus & cives omnes vera fide imbuti fuerant, ab Ethnicis, in odium Religionis, truisse in cineres redactam; atque omnes incolas igne consumptos, tradit Eusebius *H. E. Lib. 6. cap. 6. & 23.* & quidem loco primo his verbis. *Multitudo infinita usque Genitum in custodiam inclusa fuit, & carcerum passim, qui iam olim homicidis & mortuorum sepulchris conditorum expilatoribus parati fuerant, nunc Orthodoxa Ecclesia Episcopis, Presbyteris & Diaconibus, Lectoribus, & Exorcistis penitus refert: adeo, ut his, qui maleficiis tenebantur obstructi, nihil illic esse reliquum.* Idem Historiographus, cui Ecclesia præ cæteris, ob pretiosa antiquitatis monumenta, in Libris novem Historiæ Ecclesiasticæ conservata, perpetuo obstructa manet, *cap. 8.* Martyrum copiam in Ægypto ita exprimit. *Illos autem, qui sunt in Ægypto, Patria sua, Martyrio defuncti, nemo non magnopere admiretur, ut viri cum uxoribus & liberis prope INFINITI pro Servatoris nostri doctrina, vita fragili & brevi temporis monumento duratura penitus neglecta varia mortis genera subierint.* Sublimendum itaque, si multitudo infinita Martyrum: qui eorum paucitatem defendunt, necesse est, ut à vero aberrent. Immemum illum in Ægypto Martyrum numerum, quorum Spondanus in *Epist.* meminit, præ-

ter illos, qui extra Ægyptum in exilio perierunt, multum auxerunt Dacianus in Hispania, Riccius Varus in Gallia, alii in aliis Provinciis. Viſto Albino, Anno æræ Christianæ 202. direpta mox & incensa Lugdunum, ut scribit Herodianus *Lib. 3.* In his ruderibus florentissimam, numerosamque Ecclesiam constituisse, ex qua tanta fidelium multitudo sit jugulata, ut per plateas flumina currerent de sanguine Christiano, legitur apud Gregorium Turonensem *Hist. Franc. Lib. 1. cap. 29.* Qui ultra fidem veri excedere multitudinem tantam existimant, illi res veteres, si secum reputarent, ex legitimis Scriptorum monumentis deprehenderent, Christianos undequaque convolasse, & mortis oppetendæ causâ tribunalia turmatim circum dedisse; adeo, ut stupenda territi multitudo Præsides, hastam, quod ajunt, abjicerent; ac delassati à suppliciis desisterent. Augusta Trevirorum, qua, post occupatam à Julio Cæsare Galliam, amplioem illa, celebrioremque Romani non possidebant, Martyres tot in una carnificina Diocletiana Ecclesiæ dedit, ut ad diem sextum Octobris, sub INNUMERABILIAM MARTYRUM titulo à multis retrò sæculis, usque nunc illos debita veneratione prosequatur. Horum copiam immensam, quisquis legit, in admirationem traducetur eorum, quæ fideli calamo ex antiquitate sceneravit & stylo terso depinxit Christophorus Broverus Soc. Jesu, Annalium Trevirensium Scriptor elegantissimus, *Lib. 3. ad an. Chris. 286.* hac pericopa. *Luctuosissimum id Augusta & Libera civitatis spectaculum, quando grandævos senes, matronas exacta etate, pueros ingenuos, virginesque, infantes etiam cum suis matribus, per varias multiplicesque lethi species tyrannicus ensis abstulit, & una eademque clades Christianum gregem involvens, cruciatum vario disjecit. Contecta Martyrum stragibus squallebant compita, restagnansque largò*

sanguis flumen inundabat. At postquam acervis oppleri corporum, & Martyribus tumulum unda præbere cœpit, inter congestas altè truncatorum moles agro nixu ceu pigrior incedens Mosella, & summis undis pernicio cruore paulatim nitescens passuum decens millium sanguinolentus iisse proditur, &c.

II. Sanctorum Patrum Scriptorumque antiquissimorum testimonia hac in re tam multiplicia sunt, atque luculenta, ut eum in sole caligare, vel hæc nunquam inspexisse, vel obfirmati penitus animi oporteat esse, qui ingentem primævis Christianisni sæculis extitisse martyrum numerum negare ausit. Præ cæteris audiendus S. Irenæus *Lib. 4. cap. 64. Ecclesia, inquit, in omni loco ob eam, quam habet dilectionem, multitudinem Martyrum in omni tempore pramittit ad Patrem.* Accedat Clemens Stomateus *Lib. 2. Nobis autem sunt quotidie Martyrum fontes, qui nostris spectantur oculis, qui torrentur & capite truncantur.* Clarissimè S. Cyprianus *De exhort. Mm. cap. 11. Numerari non possunt Martyres Christiani; quod si tantus ostenditur & probatur Martyrum numerus, nemo difficile vel arduum putet esse, Martyrem fieri: quando videt Christianorum Martyrum populum non posse numerari.* Neque suis delunt suffragiis S. Justinus *Apoc. 2. Lactantius de morte persecutorum cap. 15.* quem Librum anno 1678. pet Foucaultium in Abbatia Moissacensi reperit à Baluzio typis evulgatum Nicolaus Le Nourry, Ordinis S. Benedicti monachus, congregat: S. Mauri huic Scriptori frivole abjudicat, ab Hieronymo citatum & ab omnibus passim recentioribus agnitum. Origenes *contra Celsum Lib. 2.* Eusebius toto præsertim *lib. 8.* Theodoretus, Ambrosius Augustinus &c. &c. ne Tacitum, Suetonium aliove profanos historicos producere necesse sit.

Dd

Quæ

Quæ ex opposito in diminutionem numerosi Martyrum exercitus deprompta sunt, pluralitatis defensores facillimè alleviari posse arbitrantur.

Ad Primum Respondetur. De actis Martyrum observandum, alia esse judicialia Proconsulum & Præfulum sive Magistratum; alia privata à Christianis, quibus cognitioni interesse licuit, consignata: alia rursus à Christianis ex Originalibus iudicum actis descripta; alia denique ex Libris Scriptorum Ecclesiasticorum excerpta. Non fuerunt autem omnium Sanctorum Martyrum acta, quorum nomina Scripta sunt in Libro vitæ, secundum numerum & nomina in Anagraphen vel à iudice, vel à Christianis relata; neque proinde illa ad posteros deveniunt, tum quod plurimi furore populorum promiscuè trucidati, in acta iudicum aut nomenclaturam Christianorum referri non possent; tum quod nonnisi sæculo III. à Fabiano Papa fuerint constituti Notarii puppici, qui acta conscribebant (Kalendaria præcipuè sæculo II. exorta Martyrum magis celebrium memorias continebant, martyrologia autem serius composita fuere) tum etiam quod Religionis Christianæ sacri Codices omnes, iussu Diocletiani, cremari debuerint; ut præter alios narrat S. Augustinus *Lib. 7. de Baptism. cap. 2.* Item *Lib. 3. cont. Cresconium cap. 27.* Nihilominus Martyrum candidatus perstitit exercitus adeo magnus, ut præ admiratione cum Hulsæo Principe interrogare liceat. *Nunquid est numerus militum ejus.* Si S. Hieronymus non scripserit Epistolam, quæ ejus nomine fertur ad Chromatium, in qua legitur, quolibet die anni 5000. Mm. memoriam veneratione solemnè Ecclesiam posse peragere, excepto die Kal. Januar. quasi eo die Gentiles à cæde temperassent, cui tamen refragantur veterum Scripta: non videtur tamen veritati absimile, quod nonnemo credidit; plures homines in lege nova pro Christo

fuisse occisos, quam pecora in lege veteri ad sacrificandum mactata.

Ad Secundum Respondetur. Etsi nonnulli Imperatorum Ethnicorum, effusione innoxii sanguinis, suum non turpaverunt imperium: qui intra breve temporis spatium vel subito fuerunt erepti: vel temperatis moribus veræ Religioni haud infensi; aut etiam hujus cultoribus, seu naturali ductu, seu aliorum instinctu benevoli quandoque extiterunt: plurimi tamen aut toto regimine sui tempore crudeliter in Christianos avierunt: aut qui ab initio languida manu, ut Seneca *tragœd. 3.* ait, rexerunt, haud diu post lemnia manu regere visi sunt. Nero, qui primus fidem cruentavit, quemadmodum Tertullianus scribit, in tyrannide habuit æmulum non solum Domitianum (sua eo plurimos Christianorum fecisse Martyrum memorat Briccius apud Hieronymum in *Chron. Euseb. ad an. 2. 112.*) qui quæ sceleratam in Deum odii Neroniani & impietatis hæreditatem successit, apud Euseb. *Lib. 3. cap. 13.* ideo scitè ab eo elegantissimo Afro dictus PORTIO NERONIANA; sed plures subsequuti sunt immanissimi Tyranni, atque sævissimi fidelium omnium persecutores. Nerva quidem nostræ Religionis non fuit infestus; ut proinde acta illorum Martyrum, qui ab ipso leguntur interfecti correctioni obnoxia sint. De eo testatur Dio *Lib. 68.* *Nerva autem eos, qui damnati erant impietatis absolvit, exulesque restituit:* adeoque mirum sit, quod Hegesippus ac Tertullianus illud de Domitiano referant, quod nullus clementiæ locus Nervæ erga captives fuisset relictus. Nisi dicatur Domitiani Decretum, ob mox secutam mortem, executioni non fuisse mandatum; quod Nerva demum præstitisset. Huic tamen obstat illud Lactantii *de morib. persecut. cap. 3.* *Recessis igitur actis tyranni, non modo in statum pristinum Ecclesia restituta est: sed multo clarior ac floridius emittit.* Sed & Eusebius
H.E.

H. E. Lib. 3. cap. 15. Tertulliani opinionem de Domitiano referens, videtur eam improbare, dum subjungit. *Scriptores porro, qui res gestas cujuscunque temporis literis prodiderunt, narrant, Senatum Romanum, cum Domitianus spatio jam quindecim annorum functus esset imperio, & Nerva gubernacula obinisset, suffragiis decrevisse, ut non modo honorum insignia Domitiano dicata penitus tollerentur: verum etiam, qui è Patria fuissent sinibus immerito expulsi, non modo domum ad suos redirent: sed etiam opes & fortunas suas domo reciperent.* Atque hinc Recentioribus persuasum, Hegesippum & Tertullianum memoriâ fuisse lapsos, dum Domitiano adjudicant, quod Nerva præstitit. Trajanus, sub cujus imperio tertia persecutio in Christianos exorta, sicut S. Augustinus Lib. 18. de Civit. Dei Onuphrius Lib. 7. cap. 12. Sulpitius &c. computant, licet edito non jussit, ut Christiani affligerentur: attamen, referente Eusebio loc. cit. cap. 26. ex seditione populi in unaquaque civitate gravis contra ipsos persecutionis tempestas commota fuit. Literis Plinii fuerit Imperator ille paulo mitior factus; nihilominus tamen in orthodoxos sese iniquissimum præstitit. Causam præbuere, ut Patres in Apologiis adducunt, hæretici; præcipuè Gnostici, malè inter Christianos recensiti; qui suis obscœnissimis actionibus effecerunt, ut genus, fides, & nomen ipsum denique Christianum blasphemaretur. Imperante Adriano persecutionis sævitiam afflictaffe Christianos, nemo inficiabitur, qui legit Epistolam 84. Hieronymi: ubi de Quadrato memorat; tantæ admirationis fuisse, ut persecutionem gravissimam illius excellens sedaret ingenium. Istius autem persecutionis tempore dum Christiani omnium Ordinum hominibus invis, poscebantur; vulgi clamoribus ad supplicia, & vario tormentorum genere ad necem quærebantur: quousque Adrianus, fessa jam ætate, variorum interventu,

à persecutione Christianorum cessari voluit. Qui aliàs, perhibente Spartiano in Saturn. Tyran. literas ad Severianum Ægypti Proconsulem misit, ut Christianos Alexandria degentes persequeretur. Vehementes alibi persecutiones docent Apologiæ Quadrati, Aristidis &c. &c. quibus gladium à cervicibus Christianorum arcere conati sunt. Et licet fortè de Christianis persequendis silerent Imperatoris edicta: perstreperunt tamen vulgi clamores, quibus fideles passim petebantur ad necem sicut cit. Epist. subindicat ad Sirenum exarata. Lampridio referenti, quod Adrianus cogitaverit erigere Christo templa, hoc uno tantum argumento, quod sine simulachris jussit fieri, pauci credunt. Eruditissimus Petitus alique Scriptores non ignobiles, huic ea in re fidem apertè negant. Et quis de Adriano hoc sibi persuasionis imbuet? quando constat ex Severo Lib. 1. Paulino ad Sev. Ep. 11. Hieronymi Epist. 13. Ambrosio in Psal. 47. quod Imperator iste Christianorum loca, quæ præ cæteris Hierosolymis Sacrosancta erant, abominationibus idolorum profanaverit, & sacrilegè fœdaverit. Antonini imperium cæde Christianorum non fuit vacuum. De eo quidem non legitur, quod persecutionis fuerit Author: constat tamen ex Justini Apologia, antequam hæc confecta fuisset, Christianos trucidatos ex sententia Præsidum, & furore Gentilium; qui Religioni Christianæ intendebant exterminium, quam suæ impietati non leve sentiebant inferre incommodum. Donec tandem ad coercendam plebis insaniam Justinus insignem illam Apologiam pro Christianis edidit, & Imperatorem ad divulgandum edictum in favorem Christianorum sceleriter induxit. Alexandri Imperatoris odium in Christianos, improborum potiùs artificio inculcatum, quam editâ operâ susceptum fuit. Fuit autem Julii Pauli & Domitii Ulpiani, Jurisconsultorum, ingeniis ad sævitiam promptis, quibus

quibus omnia credebatur, depravatus. Horum quippe perverso consilio atque scelestissimis machinationibus, diris exagitati suppliciiis, qui Christiana professione censebantur. Ipsi Ulpiano Lactantius dicam scripsit; cum illum rescripta Principum quintò de justitia nefaria collegisse memorat; ut doceret, quibus pœnis oporteat affici eos, qui se cultores veri Dei confitentur. Qui ergo, jubente Alexandro Severo, Imperatore, sic occisi referuntur. ita accipiendum; quod quidquid Paulus & Ulpianus, aliive Præfetti fecissent, Imperatoris ejusdem nomine se egisse jactarent. Nec quidquam hinc valet nimis à Samuele Banagio extensum argumentum negativum ex silentio Lactantii, de *mortib. persecut.* liquidem hic ibidem notat tantum Tyrannos insigniores, in quos tragica quoque morte animadvertit vindicta divina. Frustra ergo ex paucorum quorundam Imperatorum benignitate attentatur diminutio numeri innumerorum prope martyrum: de quo legi meretur S. Gregorius Nyssenus *Orat. de vit. S. Greg. Thaum.* ubi sic habet. *Alii quidem deferebant, alii verò demonstrabant, nonnulli item celatos & occultatos scrutabantur Christianos: pars fugientibus instabant... Carceres enim capere in sese non poterant eorum multitudinem, qui propter fidem punirentur... non misericordia infantium, non honor canitie, non virtutis verecundia in mentem veniebat infensis, &c. &c.*

Ad Tertium Respondetur. Falsissimum esse ab Ecclesia universali unquam fuisse agnitos Martyres, qui in formali hæresi mortem violentam subierunt SS. Felicitati & perpetuæ sociisque injuriam inferri, quando à Samuele Basnage Montanismus iis attingitur, dilucidè validèque evincit, citatus Joseph: Augustin. Orsi in *Dissertat. Apologet.* Florentiæ edita anno 1728. Dum Mm. aliqui in hoc, vel illo Martyrologio non recensentur, aut in aliquorum antiquorum scrip-

tis omittuntur; minus rectè inferitur præfati fuisse ignotos, aut non existisse. Vana quidem, eaque plurima veterum monumenta, quibus horum acta erant consignata, maximo Ecclesiæ Catholicæ damno, ac casu interierunt, aut à Gentilibus suppressæ fuerunt; quæ postea, ubicunque reperiri poterant, Diocletiani jussu, flammis consumpta sunt; adeoque tenuis eorum Martyrum memoria vix ad posteros devenire potuit. Præclarissimorum certè operum meminit Eusebius in *Histor. Eccles.* quæ ore acucunt, famem non sedant. Amandat non ipse Eusebius, quem Photius vocat hominem multæ doctrinæ, tum *Lib. 4. cap. 13.* tum alibi frequenter ad librum, seu commentarium, de veterum Sanctorum Martyris in unum redactis; quibus horum facta plenissimè complexus fuit, atque ille idem creditur liber, quem Joseph Asseman Maronita Ann. 1715, à Pontifice missus in Syriam post biennium redux inter 130. MSS. Codices tum Syriacos tum Arabicos Romam tulit sub titulo *Eusebii Historia Martyrum Occidentis Syriacæ*, ut ex notata Æra Antiochena apparet, Anno Chr. 473. exaratus. Cæteræ lucubrationes, aut blattis in pabulum abierunt, aut sub modio positæ nullâ industriâ educi possunt. Harum copiam videntur nacti, qui olim de decem millibus aliisque pluribus Martyribus scripserunt. Quæ nequaquam idèo prorsus rejicienda, quod fortè à posteris vitiata ac interpolata fuerint, quando aliàs de Martyrum illorum Passione constat. Insigni enim veritatis jacturâ experimur in exceptione rerum traditarum, & ad posteros transmissione irrepsisse humanum: cum libido augendi, mutandique, præsertim ubi reprehensor minus formidandus, scriptorque suo ingenio rem peractam voluit, & nimium mortalibus est familiaris. Sunt quidem critici rigidiores, & callidissimi quique rerum præclararum, qui de reconditis & abstrusis non plus intelligi, tradique posse

posse censent, quàm quantum ex probatissimis veterum monumentis suspicari licet, quibus, dum historiam Ursulinianam destitutam volunt; eam, ceu anili affectam fucosam, dum fabula despiciunt, & velut popularem narratiunculam incusant. Ast in eo hallucinantur, quod ex revelationibus duntaxat culam, atque in iis fundatam contendunt, quandoquidem, hæc non nisi ad relationis historicæ, ex priscis tabulis exarata confirmationem, veluti quoddam veritatis Sigillum, adhibeantur. Testantur earundem Virginum lypšana, & copiosissimæ Sacra reliquæ diversis temporibus repertæ, miraculis comprobata, in varias remotissimas etiam Regiones translata, atque in ipso Martyrum loco superædificato templo antiquissimo, multis sæculis in summa veneratione conservata numerosam extitisse cohortem. Quod Monachus quidam Ord. S. Benedicti Congreg. S. Mauri libro anno 1678. edito, cujus titulus, Meditationes pro festo S. Ursulae luculenter probat. Illius templi pavimento, quod virgineo cruore purpuratum (irreverenter Gaufridus Anglus præterdit has puellas vel ad militum contubernia raptas, vel in connubii spem venisse) is honor perstitit, ut nullum exinde cadaver humanum tumularum fuerit. Unde nullo loco esse debet inan's illa quorundam conjectura, qui, dum longè a veritate aberrant, erroris putati occasionem indagârunt. Hi potius Religioni sibi ducere debuissent, traditioni, quæ multum antiquitatis sibi vendicat, ad versa fronte occurrere, & posthabitis tam evidentibus argumentis, inficili niti: præsertim cum noverint, quam plurima scriptorum monumenta, injuriâ Gentilium, præclara Christianorum certamina omni studio suppressa, subducta intercidisse. Neque tamen omni sanctæ Ursulae Societas vetustatis scripto testimonio destituitur, pro qua Gelenius & Crombachius inter ceteros encomiasten sæculo VI. florentem, & in-

censi ab Artilla templi memorantem, adducunt. Illud tamen pro comperto habendum, quod numerus virginalis Collegii sit incertus; & quia multorum diversæ nationis, ætatis & sexûs accessu in immensum accreverat, vulgari appellatione numero undecim millium, certus pro incerto; sed permagnos & nobilior, potiorque pro universo genere positus fuit, quod Aubertus Miræus in *Disquisit.* perbene observat. Magnam harum virginum extitisse copiam, prodit Wandalbertus, Ordinis S. Benedicti Monachus Primien'sis, in suo, quod sæculo IX. metricè conscripsit, Martyrologio, hisce verbis.

Quorum furor impius olim
Millia mactavit, ductricibus incluta
Sanctis.

Paradoxum itaque videri debet Catholicos Scriptores reperiti, etiam Britannos; qui, quorundam obscurorum Authorum conjecturis potius, quàm assertionibus nixi, ab hæcenus inconcussæ traditionis tramite pedem retrahant, ac frivole calamum contra eam stringant, quo velint, ut hæc parthenici Sodalitii gloria suæ genti, imo toti Ecclesiæ eripiatur. Quando ex ipsismet Protestantibus succenturiantur Joannes Stumphius *Lib. 12. cap. 13.* ubi ex Chronico Basiliensi refert, Societatem undecim millium Virginum Martyrum, Sebastianus Munsterus *Lib. 3. Cosmog. cap. 94.* licet hæset in resolutione, Henricus Pantaleon Basiliensis, scriptis clarus, Ursusius aliique.

Cæterum, quæ in Chronoraxi reperitur Historicorum discrepantia (quandoquidem eorum sententia, qui ad proximiora tempora Historiam restringunt, facile erroris convinci possit) eandem ancipitem non reddit. Quidquid his adversans Gaufridus Brovvero visus fuerit atavisse plus ad obscurandam, quàm illustrandam Virginum Historiam,

D d 3.

quod

quod de Crombachio pariter non veretur pronuntiare Papebrochius in *Propyl. Disert.* 5. Gaufredum tamen non tam in credendo levem, & in afferendo non tam temerarium fuisse, quam non sine ludificatione, eum effecit Alfordus, ostendit Masenius in *Notis ad Annal. Trevir. Annot.* 7. Eandem historiam, dum Natalis Alexander magna ex parte fabulosam dicit, Romæ cenforiam animadversionem tulit; licet non mutatus, quando in scholio, editionis Venetæ, profiteretur, assertum firmis argumentis à se probatum. Neque territus Philippus Brietius è Soc. Jesu Scriptor Gallus, in Annalibus suum sensum de historia hac edisserit. *An autem militibus ejus (Flavii Clementis) missa sunt undecim millia Virginum, quæ ad Coloniæ Agrippinam sunt trucidata cum S. Ursula ab Hunnis, ita credimus, ut huic historia multas fabulas alligatas esse judicemus.* Magis eidem se obnoxium reprehensioni reddidit Michaël Alfordus ejusdem Soc. Jesu, qui ante utrumque, quæ de Ursula narrantur, inter commenta collocat, Virginum in mari triennales velitationes lusumque ridet, peregrinationem Romanam aspernatur, Cardinales, & Papam Cyriacum ignorat. Et quamvis hic interpolis, ab antiquis non recensitus, à Baronio, in quorundam aliorum Pontificum receptione aliàs pronno, eliminatus Pontifex magnum de sinceritate actorum injiciat scrupulum, non tamen res ipsa usquequaque destruitur; quando non solum Robertus Antisiodorensis, passim receptus à Scriptoribus 12. & 13. sæculi, Albericus Abbas trium fontium in Chron. Vincentius Belluac. Thomas Cantipratanus, Martinus Polonus, Jacobus de Veragine, Augustinus Triumphus, Joannes Andrea, Dominicus à Geminiano, S. Antoninus, Ludovicus Gomes Episcopus Sarmienensis, aliique eundem Cyriacum inter Pontifices Romanos recensent: sed etiam ex revelationibus S. Elisabethæ Schonauensis

evincitur. In quibus, ne fundus historia latere videatur, ut perperam aliqui contendunt, succurrit Gerlacus Abbas Tuitiensis, cujus tempore Coloniæ Agrippinæ reperitur fuit lapis sepulchralis cum hac inscriptione. *S. Cyriacus Papa Romanus, qui cum gaudis suscepit Sacras Virgines, & cum iisdem reverentius Martyrium suscepit.* Et quia Abbas ille circumspectus dubitare cœperat, num malâ scilicet operâ inventores, quæstus causâ hæc lemmata excogitassent; uti in simili deprehensus fuit Joannes Annius, nequicquam vindicatus; consuluit S. Elisabetham, quæ de his inscriptionibus cœlitus edocta, nihil sinistri subesse pronuntiavit. Neque prætereundum, quod in Romano Breviario An. 1522. Venetiis excuso, Lect. sexta narratur, quod Cyriacus Papa, cum ipse de Britannia esset, ad Virginum adventum valde lætatus eas summo honore cum universo clero & populo receperit: Angelus autem Domini apparuerit Papæ in ipsa nocte, monens, ut cum eis iret, & palmam perciperet Martyrii. Quod apud se celans, coram omnibus Cardinalibus, ipsis licet reclamantibus, & discipulis, non debere Papam post quædam mulierculas abire, Papatui resignavit. Cui autem nomen hujus Pontificis non reperitur in antiquis Catalogis, causâ hæc ex Historia Lombardica passim refertur; quod abiit reluctantibus Romanis, credentibus non ob devotionem: sed oblectamenta Virginum: qui proinde ex syllabo Pontificum expungendus erat. Cùm itaque de Cyriaco illo adducta testimonia prostant, non erit operæ pretium ad veritatem stabiliendam meminisse Glossæ ordinariæ in 6. Decretal. *Lib. 1. tit. 7.* ubi Joannes Andrea, ejusdem Auctor censens, quod Pontifex resignare possit, hanc Cyriaci spontaneam abdicationem producit, ut certum exemplum: quod certius videretur: si Bonifacius illud protulisset in causâ suæ præsidium; uti protulit unicum S. Clementis, quando successit Cælestino V. Papa.

Papæ resignanti, & an hujusmodi resignatio subsisteret acriter disputatum fuit. Quid æstimationis Glossæ huic forsitan advennerit, id ei protinus discessit, quando in ultima correctione Juris Canonici rejecta fuit. Validius præjudicium veritatis obtinent muta etiam laxa, quibus, si Historicus fidem non præstat, videat sanè, præmonet Malenius, ne intractabilior ipsi faxis jure videatur. Fortè de historiæ universæ veritate posset moveri suspicio, quod in Breviario Romano per Clementem VIII. & Urbanum VIII. recognito, eadem integrè sit ommissa, solaque S. Ursulæ & Sociarum commemoratio relicta. Exinde tamen nemo rectè statuet, non plura millia Martyrum extitisse. Siquidem longè alia potuerunt esse motiva, quæ summum factorum arbitrum induxerunt, ut in officio publico historiam hanc omittendam deinceps prudenter censuerit: cui censuræ conformiter in quibusdam postea impressis Breviariis religiosorum, sicut in nuper emendatis impresso Canoniorum Regularium S. Crucis, loco propriarum aliàs ex Breviario Colonienfi sceneratarum assignantur lectiones de communi, in Festo S. Ursulæ, licet sub ritu duplicis majoris cultæ ideo, quod in ejus Societate Chiliarcha fuerit S. Odilia, Ordinis illius Patrona cœlitis data, cujus sacræ exuviæ præter aliarum sociarum quarundam Huum ad promordialem ordinis domum Anno 1287. translatae fuerunt. Ipsam pariter sanctam Urtulam cum Sociabus illustrissima Sorbona dudum sibi in patronam præcipuam elegit: ad cujus honorem & imitationem Ordines Parthenici gemini instituti à Summis Pontificibus approbati, magno Ecclesiæ Catholice emolumento in Gallia & Germania florescant.

Decumanam combustorum Martyrum Nicomedientium multitudinem ipsemet Lactantius *Loc. cit. cap. 15.* hisce verbis exprimit. *Nicomedia comprehensi presbyters ac*

ministri; & sine ulla probatione ad confessionem damnati, cum omnibus suis adducebantur. Omnis sexus ac ætatis homines ad conflagrationem rapti, nec singulis, quoniam tanta erat multitudo & gregatim circumdati, igne ambiebantur domestici, allegatis ad collum molaribus mari mergebantur, nec minus in ceterum populum persecutio violenter increbuit. Quid his desertius pro multitudine MM. in primis sæculis adferri posset? Quanquam ergo non in templo reclusi, aut nocte natalis Christi flammis consumpti fuissent cives Nicomedientes; mortem pro Christo obiisse testatum habetur. Quod si etiam concederetur Cleopham Anacleum Felicem ceterosque nominatos Martyrum Collegio non esse sociandos; quantum immenso horum numero discederet? Num ideo tot Sanctorum Christi Martyrum myriades dici poterunt numero pauci; si mille inde demantur? Præterea falsum est in Ecclesia Catholica homines injustè ad necem damnatos, ideo præcisè fuisse habitos Martyres; cujus certè nullum in omni antiquitate est reperire vestigium. Ammianus Marcellinus, homo Ethnicæ superstitioni addictus, imperitiarum rerum nostrarum turpiter hallucinatus fuit. Neque veritati conforme, quod in numerum Martyrum justa illi fuerint auctoritate recensiti, qui in bello ab infidelibus fuerunt occisi: cum merè passivè, quod ad rationem Martyrii Theologorum Schola exigit, sese non habuerint. Id quidem Phocas Imperator aliquando intentaverat: sed ab Episcopis Orientalibus repulsam passus fuit; qui, ut est apud Baronium *in not. ad Martyrologium Romanum die 19. Aprilis* nitebantur auctoritate Canonis 13. Sancti Basilii, quemadmodum in *Comment. super eum Canon.* scribit Theodorus Balsamon. Decrevit enim S. Basilii ut annis tribus abstineant à Communione, qui in bello occidissent homines, quamvis inter homicidas non essent computandi. Canon etiam penitentialis qua-

quadragessimam indicit hostium interfecto-
ribus. Id est diebus 40. à Sacris abstinere.

Porro si olim, errore cujusdam privatæ
Ecclesiæ aut nationis alicujus, fuerit forsan
quibusdam delatus honor, qualis revera ei
non debebatur; nullum proflus inde præsi-
dium, multitudinem Martyrum impugnan-
tibus, obvenire poterit. Neque ex tali cul-
tu privato derogatur quidquam Ecclesiæ au-
thoritati ejusve infallibilitati, quæ dum cul-
to deliam minus competere deprehendit; fie-
ri prohibet. Neque alios illa agnoscit Mar-
tyres, quàm qui morte violenta veram sanc-
tivate fidem. Qui non ignorant, quid di-
stent æra Lupinis, in Martyrologio Foxi An-
gli deprehendent farraginem (hos Martyres
novæ Ecclesiæ assertores dicunt) latronum,
prædonum perduellium, exploratorum per-
fidorum, furum, raptorum, infamium apo-
statarum, & improbitimorum nebulonum,
qui rotas, patibula, vivi-comburia, aliasve
condignas scelerum suorum pœnas subire
debuerunt. Hos, si quis expilate vellet, non-
nisi charta blanca, ut vocant, in plurimis fo-
lis permaneret.

Laudandum interim studium eorum, qui
bona intentione illud agunt, quatenus Ro-
mano Martyrologio, officioque Ecclesiastico
suis tandem obveniat nitor. Quo in negotio
dum R. P. Daniel Papebrochius cum cæteris
versaretur in actis Ss. ad diem 23. Junii hisce

prævenire voluit Lectoris judicium, qua-
erunt hujus Controversiæ complementum.

*Nemo me dicat hominem pri-
vatum Censorem ac Refor-
matorem agere operis publici,
authoritate Ecclesiæ tantisper
approbati ad communem uti-
litatem Ecclesiæ, donec eor-
dem Ecclesiæ iteratò illius re-
cognitioni allaborandum ju-
dicet. Consultorem, etiam
privatum, admittit magistrum
veritatis, modò is inventa
se documenta & monumenta
sic proponat; ut nihil ipse defi-
nitum velit; nisi quod
ipsa tandem sta-
tuerit.*



CON-